



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes, Soliloquia et Manuale**

**Augustinus, Aurelius**

**Coloniae Agrippinae, 1649**

De tribus inimicis hominis, carne, mundo, & diabolo, 12

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)



## CAPVT XII.

*De tribus inimicis hominis, Carne, mundo & diabolo.*

I. **A**Djuua me Domine Deus meus, quoniam inimici mei animam meam circumdederunt: corpus scilicet, mundus & diabolus. A corpore fugere non possum; nec ipsum à me fugare. Circumferre illud necesse est, quoniam alligatum est mihi: perimere non licet, sustentare cogor; & cum illud impinguo, hostem meum aduersum me nutrio. Si enim satis comedero, & id robustum fuerit, sanitas & fortitudo ejus mihi aduersantur. Mundus vero circumcingit & obsidet me undique: & per quinque portas, videlicet per quinque corporis sensus, scilicet visum, auditum, gustum, odoratum, & tactum sagittis suis me vulnerat, & mors intrat per fenestras meas in animam meam. Respicit oculus, & mentis sensum avertit. Audit auris, & intentionem cordis inflectit. Odoratus cogitationem impedit. Os loquitur, & fallit. Per tactum ardor libidinis, pro aliqua parua occasione excitatur, & nisi illico respuatur, subito totum corpus occupat, urit & incendit. Primo carnem cogitatione modicum ritillat: deinde, delectatione turpi mentem maculat; & ad extremum per consensum prauitatis, sibi mentem subjugat. Porro diabolus, quem videre non possum, & ideo minus ab eo mihi cavere, tetendit arcum suum; & in eo paravit sagittas suas, ut vulneret me repente. Narravit ut absconderet laqueos suos, & dixit:



& dixit : Quis videbit eos ? Laqueum posuit in auro & argento, & in omnibus quibus abutimur, cum illis male delectamur, & illaqueamur. Nec solum laqueum posuit, sed & viscum. Viscus est amor possessionis, affectus cognationis, cupiditas honoris, & carnis voluptas ; quibus anima inviscatur, & irretitur, ne pennis contemplationis per plateas supernæ Sion volare possit. Sagittæ diaboli sunt, ira, invidia, luxuria, & cætera, quibus anima vulneratur. Et quis est ille, qui jacula ejus ignea extinguere possit ?

*Proh dolor ! his telis superatur sæpe fidelis.*

*Heu mihi, quot video bella parata mihi.*

Undique tela volant, undique tentamenta, undique pericula. Quocunque me vertam, nulla securitas est. Et quæ mulcent, & quæ tristant vel molestant, omnia timeo : esuries & refectio, somnus & vigiliæ, labor & quies, pugnant contra me. Non minus suspectus est mihi jocus, quam ira : multos siquidem jocando scandalizavi. Nec minus prospera vereor, quam adversa. Prospera namque suavitate sua incautum me faciunt, & decipiunt : adversa vero, quia aliquid amaritudinis habent, velut potiones amaræ me suspectum & timidum faciunt. Magis timeo malum quod facio in abscondito, quam quod in aperto. Malum namque quod nemo videt, nullus reprehendit : & ubi non timeretur reprehensor, & securius accedit tentator, & facilius perpetratur iniquitas. Nimirum utrobique bellum, utrobique periculum, utrobique timendum : & sicut in hostili regione



gione versantibus, hac illacque circumspiciendum est, & ad omnem strepitum circumagenda est cervix. Caro suggerit mihi mollia, mundus vana, diabolus amara. Quia quoties carnalis cogitatio mentem importune pulsat, de cibo & potu, de somno, cæterisque similibus ad carnis curam pertinentibus, caro mihi loquitur. Cum de ambitione sæculi, de jactantia, de arrogantia, cogitatio vana in corde versatur, de mundo est. Quando autem ad iram, & iracundiam, & amaritudinem animi provocor, diabolica suggestio est; cui non aliter quam ipsi diabolo resistendum est: nec aliter ab eo cavendum, quam ab ipsa damnatione. Dæmonum officium est, suggestiones malas ingerere: nostrum est, illis non consentire. Nam quoties resistimus, diabolum superamus. Angelos laudamus, Deum honorificamus. Ipse enim nos hortatur, ut pugnemus: adjuvat, ut vincamus. Certantes in bello spectat, deficientes sublevat, vincentes coronat.

## CAPVT XIII.

*De impugnatione trium dictorum inimicorum.*

I. **C**ARO mea de luto est, & ideo lutofas & voluptuosas cogitationes ab illa habeo: vanas & curiosas à mundo, à diabolo malas & malitiosas. Isti tres inimici me impugnant & persequuntur, nunc quidem aperte, nunc vero occulte; semper autem malitiose. Diabolus namque plus confidit in adjutorio